



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

155 Idem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

cator, nempe secundum desiderium peccati, licet à Deo minimè exaudiatur, ex misericordia tamen, si peccatoris oratio procedit ex desiderio bonæ naturæ. Deus exaudit, non quasi ex iustitia, quia talis non meretur, sed ex pura misericordia, *cap. perisulium, § quia verum de elect. in 6.* & post Sanct. August. gloss. mag. *in clem. unic. in verbo orationes sub vers. de quinto, de reliquiis, & vener. sanct.*

605 Eadem ¶ Clem. VIII. constitutione cavetur, ut confessarij, qui vigore privilegiorum ipsis ordinibus, congregationibus, confraternitatibus, & religionibus concessorum pro tempore eligi possunt, & poterunt seculares, scilicet, in alma Urbe ab eodem Vicario Urbis, extra Urbem verò à locorum Ordinariis, regulares autem non solum à prædicto Vicario, & locorum ordinariis respectivè, sed etiam à suis superioribus sint approbati, *ut in eadem constitutione, §. præterea volumus.* Quoad Regulares, requiritur suorum superiorum approbatio, quia sunt sub eorum jurisdictione, & tanquam à suis Ordinariis sunt approbandi, cum alieno obsequio sine suorum superiorum licentia, minimè se subijcere possint, *Clem. quia verò, de stat. Monach. & concil. Trident. in cap. 4. de reform. sess. 5.* & illa approbatio dictorum privilegiorum vigore, audiendi confessiones secularium, etiam sacerdotum, nisi per examen ab Ordinariis locorum fuerint approbati, minimè eis suffragatur, *conc. Trident. c. 15. de reform. sess. 23. & clem. dudum, §. ac deinde, de sepult.*

356 Regulares verò ¶ confratres pœnitentes à criminibus, casibus, & censuris juxta prædictorum privilegiorum, (quatenus tamen sint in usu, & sacri concil. Trident.

decretis ac Romanorum Pontificum constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sit) formam, & tenorem duarum absolvi possunt, *ut in eadem constit. dict. §. præterea volumus, vers. ut qui confratres, & intra hos terminos sese debent regulares continere, nec aliorum privilegiorum sibi ipsis olim concessorum, plus juris sibi vindicare possint.*

Tria enim ¶ concurrere debent in privilegiis regularibus olim concessis, ut à criminibus, & censuris, eorundem privilegiorum vigore absolvi possint.

Primum, ut sint in usu, quia lex non recepta moribus desinit obligare, *cap. in istis, §. leges 4. dist. gloss. 2. in capit. 1. de treug. & pace, & Navar. in cons. 8. alias cons. 44. numer. 4. de sent. excomm. lib. 5. par. 2.* & privilegium, per quod conceditur aliqua facultas aliquid faciendi, perditur, antequàm acceptetur, per non usum, per lapsum decennij, *l. 1. ff. de nund. gloss. penult. in l. falsò, C. de divers. rescript. Ita in l. beneficium, numer. 5. C. de constit. princ. & Navar. eodem numer. 4.*

60 Secundum, ¶ quod sacri concil. Trident. decretis, ac Romanorum Pontificum constitutionibus non adversentur, facultate enim absolvendi ab illis casibus, quos Ordinarij locorum sibi reservarunt, uti non possunt, quia ejusdem sacri concil. Trident. decretis adversatur, *ut cap. 7. de cas. reserv. sess. 14. Canon. 11. de Sanctu. pœnit. sacram. eadem sess. 14.* Et, quòd, nec fratres Mendicantes, nec alij regulares vigore privilegiorum, quæ Mare Magnum appellant, nec vigore privilegiorum rosarij, neque Jesuitæ à casibus Episcopo reservatis absolvi possint, fuit pluries su-